

et corda principum impiorum obtinens percussit eam *a planta pedis usque ad verticem*¹⁾, magnos et parvos atrociter persequens. Verumtamen *sicut in uno corpore omnia membra non eundem actum habent*²⁾, ita in eiusmodi percussione omnia membra corporis ecclesie nec equalia
 5 gesserunt nec equallem dolorem perpessa sunt. Tu es unum huiusce corporis membrum, cui patienti recte *omnia membra compatiuntur*³⁾ audientia clamorem tuum, clamorem tuę passionis, o verissime Iob, id est dolens⁴⁾, quem et tu maxime sciens spirituali scientia et sensu mystico dixisti fidelissimo comiti tuis doloribus oppido cum fletu et
 10 mestitia condolenti: *Magis tace et in interiore homine absconde Christum et postmodum, cum clamavero, audi et veni*⁵⁾. Dixerat enim ille plorans et mestus propter te, cum clamasset alius, videlicet Romanus miles: Christianus sum, et propter hoc occubisset: *quare non et ego vociferor, quia Christianus sum, et tecum incumbo?*⁶⁾ O quam venerabiliter accipiunt eruditę aures, quod dictum illud ita ex ore eius assumpsisti, ut diceres tuo sensu subtiliori: *cum clamavero, audi et veni*. Hoc enim vere dixisti sensu illo, quo et universę ecclesie cum beato Iob propter martyres suos dicere congruit: *Terra terra ne operias sanguinem meum neque inveniat locum in te latendi clamor meus*⁷⁾ et
 20 cetera quę sequuntur.

21 a) Tu autem beate martyr, sicut dicere ceperam⁸⁾, quidam Iob tuo tempore extitisti et nunc et usque in finem seculi clamorem tuum, clamorem magnum tuę passionis Christus audit et ecclesia Christi, neque enim terra^{b)} illum operire potuit nec ullum in ea latendi locum
 25 invenit⁹⁾. Et quę vel qualis est illa terra? Nimirum ipsa de qua clamat ad Deum sanguis protomartyris Abel¹⁰⁾, immo sanguis Christi, cuius typum preferebat ille iustus Abel. Hęc terra universalis ecclesia est. Locus^{c)} autem terre, de quo clamorem tuum audivimus, sancta Romana ecclesia est^{c)}. Ipsa clamorem tuum prima audivit et primum conclamavit nosque secum conclamare docuit verbis huiuscemodi, quę primum
 30 verba fuerunt sepe dicti Iob; nihilominus autem verba sanctę ecclesie sunt in pressuris suis et tibi aptissime congruunt. Oratio mea munda est et ideo peto, ut detur locus voci meę in celo, quia ibi est iudex meus

21 a) c. 21 fehlt J b) terram M c) Locus ... ecclesia est fehlt M, nachgetragen in A Errata

1) Deut. 28, 35 2) Rom. 12, 4 3) 1. Cor. 12, 26 4) Hieronymus, Liber interpret. hebr. nom., Corp. christ. lat. 72, 133 5) Passio s. Laurentii, s. Mombrinius, Sanctuarium (ed. 1910) 94 6) Ebd. 7) Iob 16, 19 8) c. 20 9) Vgl. Iob 16, 19 10) Gen. 4, 10